

meno habuisse, tamen ab eorum opinione, quod solâ Musicâ penitus fugari possit Dæmon, ad rei ipsius veritatem, collectio vix ac ne vix quidem institui poterit. Modum autem ordinarium fugandi Dæmonem consistere in piâ sacrarum precum hymnorumque devotorum modulatione aut recitatione, id certè positum est extra dubium. Christus ipse testatur, *quod genus hoc Dæmoniorum non egrediatur nisi per jejunium & precationem. Matth. XVII, 21.*

§. X. Hâc tamen assertione nos neutiquam naturalem Musicæ vim infringimus, quin potius eandem multùm & heic effecisse confitemur. Sed nunc sese nobis opponere videtur B. Dannbauerus, in *Absage Brief Part. II. Quest. 2.* ubi vim pellendi Satanam omnimodè mediis naturalibus denegat, accommodans huc illa verba, quæ habentur *Job. XXI. 27. 28. 29. Reputat (scil. Satan) ut paleam ferrum, ut lignum putre chalybem. Non fugat eum sagitta, in stipulam ei convertuntur lapides funda. Ut stipula reputantur ballistæ lapides, & ridet ad vibrationem lanceæ.* Similia itidem, quibus hanc rem illustret, adducit, id videlicet, quod corpus obsessi affligat, inhabitantem hospitem non minùs affligere tradens, quam nautam externa navis afficiat allisio. Imò quemadmodum aqua non doleat, etiamsi ei immittatur sagitta, aut ignis vel aër vulneretur, licet vel milies gladio eundem percutias; ita etiam non sentire Spiritum afflictionem, quæ ab externo quodam & naturali medio oriatur, ac proin Diabolum loco moveri atque penitus ejici per Musicam non posse. Veruntamen quàm parùm nobis adversetur beatissimus Theologus, ipse postmodum indicat, dum se deliberato consilio hanc adjecisse limitationem ostendit, quod media naturalia omnimodè & ex toto Diabolum fugare haut valeant. Interim tamen concedit, eadem ipsi facultatem adimere, ut ne pro lubitu suam ul-